

Handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the entire page. The text is arranged in two columns, with the left column being partially obscured by the book's binding. The script is dense and includes several large, decorated initials in red ink, marking the beginning of new sections or paragraphs. The paper shows signs of age, including discoloration and some wear at the edges.

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß
1831 oho



PROPEMPTICA DVO
DOCTISSIMO IUVENE
NI, VIRTUTE ET ERUDITIONE
*præstanti BALDASARI SCHV.
rero Snebergensi, Vuiteberga in pa-
triam discedenti, Scripta*

A

M. IOHANNES GRVEN
Noribergensi.

ET

PETRO ALBINO
Snebergensi.



Vuitebergæ excudebat
Laurentius Schwenck.


1564.

DOCTRINA

IN

ARTIBUS

LIBRO



Vorbergs excudebat

Amstelredamum

1724



VALEDICTIO M. IO:
HANNIS GRVEN NORIBERGEN:
sis ad Baldasarum Schurerum amicum vete:
rem Vuiteberga discedentem.

Quantos frater habet charo pro fratre dolores,
Cum vitæ socium luget uterq; suæ.
Sive peregrinas alter discedit in oras,
Nec reditus certi spes manet ulla super,
Seu mala visurum multò grauiora relinquit,
Fratrem discedens frater ad astra suum:
Tantos nunc mæsto sub pectore uoluo dolores,
Et mentem excruciat luctus uterq; meam.
Præmatura miser Ioachimi lugeo fratris,
Fata, meæ matris canitiemq; gemo.
Quæ pariter nato, pariterq; orbata marito,
Immensi luctus est pia causa mihi.
Inde mihi luctus tristissima causa secundi
Est, quod discessum dulcis amice paras.
Dulcis amice, mihi à primis iam cognitus annis,
Semper præsentem fidus adusq; diem.
Tu Niueos Montes & patria rura relinquens,
Postquam venisti Norica in arua puer,
Hic mihi militia socium te iunxit eadem,
Et comitem studijs fecit adesse Deus,
Nos pietas, morumq; decus, dulcesq; Camænæ,
Ingenium atq; ætas iunxit amore pari.
Sic studijs similes, ætate & moribus ambos,
Nutriuit pueros Norica terra diu.

Hinc postquam ad iustos ambo peruenimus annos,
Notaq; iam fuerant prima elementa satis,
Inde peregrinas iuuenilis uisere terras
Ingenuasq; artes discere cura fuit.
Hic nos Leucorea rursus conuenimus urbe,
Et firmus ueteri federe iunxit amor.
Tu me fraterno complectebaris amore,
Dilectiq; loco tu mihi fratris eras.
Tu uerè cursu uitæ mihi fidus in omni,
Tu uerè in studijs & pietate comes.
Tu socius mihi læticiæ, sociusq; dolorum,
Tu mecum fratris nunc quoq; fata doles.
Tu mihi post omnes, qui discesseres sodales,
Leucorea remanes solus in urbe super.
Ergo quod amisi per tristia funera fratrem,
Qui fuit ingenio portus & aura meo.
Et quod tam fido nunc te spoliabor amico,
Ista mihi est luctus utraq; causa pij.
Sola tamen mæstæ restant solatia menti,
Quæ nos non frustra dogmata sacra docent.
Frater in æternum cælesti uiuit in aula,
Intuitu Christi colloquioq; fruens.
Et te propediem reddet mihi lætior hora,
Quæ nunc discessu est tristis utriq; tuo.
Interea iunctos animis spes nutriat ambos,
Cum sunt disiunctis corpora nostra locis.
Angelico comitante choro protectior ibis,
Quid tibi plura precer? Sit Deus ipse comes.
Ut cæli angelicas demittit ab arce cohortes
Et nixus scalis stat λόγος ipse patris,

Cum

Cum pius Isacides terram accessurus auitam,
Orat ut hanc possit tutior ire uiam.
Te Deus inco lumen longos conseruet in annos,
Et donet uotis prospera quaeq; tuis.
Tu bene consulito, tibi quod ualedicit amicus
Et nunquam ut par est, immemor esto mei.

PROPEMPTICON CARMEN
Eximia uirtute & eruditione
PRÆSTANTI BALDASARI SCHV.

RERO Snebergensi Vuiteberga in patriam
discedenti, Scriptum

à

PETRO ALBINO
SNEBERGENSI.

ERgo diceris hinc adire sedes,
Iucundissime BALDASAR paternas?
Ergo Castaliam relinquis undam,
Quâ cygni liquido tenore dulces
Concentus modulantur, & Deorum
Laudes concelebrant, Ducumq; facta?
Nec te cura sodalium tuorum,
Quos perspectus Amor tibiq; iunxit
Gaudens unanimi Fides amore
Ceptum cogit iter leuare paulum?
Nec tanti metuis caloris ignem?
Dum mox Erigoneius supernè
Flauas Syrius excoquens aristas
Præsentem grauius ciebit æstum.

En vt

En vt vorticibus carens profundis
Nostras præterit hîc vbi Albis oras,
Nunc arentia contrahat fluenta,
Ardorem impatiens subire tantum.
Tu verò nihil impeditus istis
Quà surgunt Niuei sub astra Montes,
Misnenses abitum paras ad oras.
Dic qua feruidus editorum ad altas
Ascendes ratione montium oras.
Ab SCHVREERE mane, mane, nec vrge
Tanto propositas vias sub æstu,
Ne te pœniteat deinde facti.
Si sedes tamen hinc adire auitas,
Nec longum potes emanere, mens est,
Illud commodiore fiat aura,
Ignis tunc vbi paululum remittet.
Iam dum suadeo commorare, Forsan
Si parère velis iuuabit olim.
Tantum dixi ego: Vox repente vocem
A tergo fuit hæc secuta nostram:
Quo frustra Petre tendis? vt paternas
Deterrere velis euntem ad oras?
Non motus petulantia viarum
Tantos aggreditur volens labores.
Ad magnos etenim (quod ipsa noui)
Festinat Patriæ vocantis Actus,
Nec credas grauitate vel carere,
Vel non seria quæ geruntur esse,
Magni quippe refert adesse, magni.
Ergo quis velit impedire ceptum?

At

At quod friuola cura te, profecto
Ne forsan grauis obsit aestus, angit,
Hac in parte tuas leuabo curas.
Ipsam namq; ego ne queratur illud
Ad dictam comitabor vsq; metam,
Si quando calor ingrauescet albam
Mox illi faciem ligabo vitta,
Ne fuscum cutis hauriat colorem.
Tum si ceperit aegritudo ab aestu,
Phæbo languidulis nocente membris,
His fessum recreabo, quas in Ida
Decerpit Pater ipse Phæbus, herbis.
En hic mollis Amaracus, Marinus
Ros, en quas Hederæ ferunt aristæ,
En Lauri coma, Populiq; frondes,
Alcides quibus ille fortis olim
Circundans caput abstulit trifaucem
Ex atro Styge Cerberum, nec aestu
Vmbra debilitatus est sub ista.
Quod si videro non subesse vires,
Interdum nebulas ab axe spargam,
Inclusum uè leui tenebo nube.
Quin & hac, mora ne qua sit, lagena
Sacros Ambrosiæ gero liquores.
Sed quid plurima? prosper atq; sospes
SCHVRRVS patriam videbit vrbe
Tantum fide, metusq; siste cæcos,
Sum CLIO omnipotente nata patre,
Vt quodcumq; velis habere possis
Me faultrice, Sed ecce tempus instat.

Sic

Sic dixit : tenuesq; lata in auras,
Nostros destituit Camæna uisus.
Idcirco quoniam uolente fato
Iucundissime *BALDASAR* recedas,
In cassum mea ne querela crescat,
Quid porrò superest mihi? nihil quam
Ut de more tibi fauentis optem
Fortunæ bona cuncta, quo Penates
Inuisas patrios & arua sospes.
Ergo uade auibus bonis & illos
(Postquam Sanguineos tuos uidebis,
His nam primus honos piè ferendus)
Confestim ueteres reuise amicos,
Thesæo tibi quos amore longo
Iunctos patria copulauit usu.
O si Numina dent, ut ipse saluos
Læta fronte tuos meosq; cernas,
Tum cunctos mihi *BALDASAR* fauentes
Nostro nomine comprecor saluta.

Wittebergæ 16. Iunij 1564.

153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





PROPEMPTICA DVO
DOCTISSIMO IVVE
NI, VIRTUTE ET ERUDITIONE
præstanti BALDASARI SCHV.
rero Snebergensi, Vuiteberga in pa-
triam discedenti, Scripta

A

M. IOHANNES GRVEN
Noribergensi.

ET

PETRO ALBINO
Snebergensi.



Vuitebergæ excudebat
Laurentius Schwenck.

1564.